1 vol

~~Ghst. prot. 6429~~

DEDUCTIO
JURIS ET FACTI,
QUA,
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
BORUSSIÆ REGI,
JUS, PROPRIAS DEDUCENDI RATES SEU PONTONES IN FLUMINE VISTULÆ CONTRA POLONOS ASSERITUR.

ANNO MDCCXXXIV.

FACTI SPECIES.

CAP. I.

§. I.

NOn heri aut nudius tertius demum medium Viſtulæ flumen Poloniam à Boruſſia ſeparat, ſed aliquot jam effluxere ſecula, cum hic terminus innoteſceret. Conſtat quippe Fratres Teutonicos primum totius fluminis dominium acquiſiviſſe, ita ut Viſtula generatim finiret Boruſſorum pagos terrasque, ac pro acceſſione eſſet, nec quidquam Poloniſ eo in fluvio juris competere crederetur: donec, fatalibus quibusdam præliis inter crucigeros & Polonos commiſſis, in alium ſtatum res deveniret

Casimiro magno regnante, qui cum Magistro ordinis supremo Joanne Desemero seu Tusenero his conditionibus A. 1349. pacem pepigit: *Notum sit universis tam præsentibus quam futuris præsentium notitiam habituris, quod nos Casimirus Dei Gratia Rex totius Poloniæ, cupientes nos Terrasque nostras ac Incolas ipsarum in pacis amœnitate conservare, facimus & ordinamus inter Nostras Terras Cujaviæ videlicet & Poloniæ parte ex una & Religiosum ac Magnificum virum Dominum Henricum Tusener, Magistrum Generalem Ordinis Fratrum Domus Teutonicæ & suum Ordinem ac Terras ipsorum Culmensem videlicet & Pomeraniæ, parte ex altera, veras GRANITIES & perpetuo duraturas, incipiendo ab ultima Granitia districtus Nessoviensis & demum descendendo per Vislam usque ad quandam villam Bezendorff vulgariter dictam, ad Abbatem de Bissovia pertinentem, ubi Granitiæ reincipiunt*

Terræ

Terræ Pomeraniæ ſupra dictæ, ita tamen quod ubicunque littus Terræ Cujavienſis prædictæ, noſtrum fuerit, ibi pro Granitia MEDIUS *Visla, ſive Alveus ejus habeatur, & quicquid in Inſulis & piſcaturis & aliis utilitatibus quibuscunque, à medietate prædicta noſtra ex parte Utilitatis vel Commodi poterit inveniri, ad Nos & Noſtros Succeſſores, Dominos Cujaviæ legitimos, & ad Terram Cujaviæ prædictam debebit pertinere, omnis tamen homo Vislam tranſiens infra Granities prænotatas à coactione quacunque ad deponendum ipſius res, bona ſeu merces, nec non & ab exactione & ſolutione pecuniæ cujuscunque & impedimento quolibet liber erit, nec ad ſolvendum prædicta per quempiam compelletur, limites vero Cujaviæ & Pomeraniæ ſunt hi* &c. *Actum & datum in Tranſaz, decimo octavo Julii Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono.* &c.

§. II.

Quæ pacis tabulæ, FUNDAMENTUM erant ſecundi fœderis ab Vladislao II. Jagellonio cum Paulo de Rusdorf initi. Polonis namque ægre ferentibus Caſimirum ad pacem potius, quam bellum animum inclinaſſe, atque interea magno Lithuaniæ Duce Jagellone in regni ſolium evecto, Lithuanis incentoribus facile recruduit diſcordia, nec prius ſopiri potuit, quam A. 1436. quo cum memorato Vladislao Poloniæ ac tandem Hungariæ Rege variis bellis implicito, crucigeri rurſum in concordiam rediere his verbis: *Quod per deſcenſum intrante fluvium VVisla, iterum deſcendendo per VVislam inferius, ipſe MEDIUS FLUVIUS VISLA erit iterum limes inter Regnum Poloniæ & Terras Magiſtri & Ordinis Pruſſiæ, cum omnibus ſuis Inſulis piſcaturis juribus & obventionibus univerſis, nullis excluſis peni-*

penitus & exceptis, usque ipsa MEDIETAS prædicti fluvii VVisla tanget locum limitum, quem quondam Serenissimus Princeps Dominus Casimirus divæ Mem. Rex Poloniæ cum Magistro Prussiæ dicto Duschmar inter terras Bydgostiensis & Pomeraniæ certis literis & signis notabilibus limitavit, descripsit & distinxit, Castro Jassyenetz in Terris Ordinis permanente.

§. III.

Quæ concordia etsi pax appellabatur perpetua, non ita tamen firma manebat ac stabilis, ut ne quadantenus ab ea recederetur, inprimis cum Borussiæ civitates inter se magnas simultates agitarent & Ludovicus ab Erlichshausen, sic dispensante fatorum providentia, eo adigeretur, ut paulo iniquioribus conditionibus sibi cum Casimiro Jagellonio A. 1466. esset paciscendum, ac multæ cedendæ arces, villæ, terræque in quibus tum domi-

nium

nium directum, & utile, tum merum & mixtum imperium dicto Regi fuit tributum, cum piſcaturis, fluviis, agris, mari, inſulis & *pertinentiis univerſis.* Ex quo tamen neutiquam inferendum, crucigeros omnia jura ſua uno ictu amiſiſſe. In iisdem enim pacis tabulis ſignanter exprimitur, quæ loca penes ordinem manerent Teutonicum, quæve ad eorum pertinerent ditionem; & ſicuti Polonis reſervata ſunt flumina cum urbe Dantiſcana & mari, aliisque caſtris & territoriis; ita in deſcriptione portionis Teutonicorum Equitum diſerta mentio eſt injecta AQUARUM, ſub quibus haud dubie Viſtula comprehenditur, qui tum alluebat fines crucigeri ordinis, ceu iſte adhuc adtingit terminos Boruſſiæ ab Alberto, Sereniſſimo Marchione Brandenburgico primum Ducatus nomine acquiſitæ. Unde nullo

nego-

negotio patefit, Polonis Pomerelliam secundum antiquos limites esse relictam, item Narigam cum fluviis ac piscaturas, quæ sunt in cauda maris, alias *Hap* dicti; quemadmodum vicissim Teutonico ordini, secundum pristinos terminos terræ, villæ ac castra sua cum AQUIS & eorum juribus sunt reservata, non excluso flumine Vistulæ, sed sub aquarum generali vocabulo simul comprehenso.

§. IV.

Quæ interpretatione cuiquam peregrina videretur, usu venit, ut in pace perpetua Sigismundi Regis cum prælaudato Marchione & Duce Borussiæ primo A. 1525. coalita navigandi & trajiciendi facultas in omnibus Borussiæ fluminibus universis & singulis Principatus incolis solenni ratione sit concessa; idque in renovatione omnium privilegiorum A. 1526. ad-

huc clarius legitur expressum. Verba sunt: *Ut liceat eidem una & hæredibus suis per totam Terram nunc concessam ad commodum suum, Passagia & telonea ordinare secundum Contractus præscriptum, Nundinas & fora statuere, Monetam cudere, pro Contractus formula, talia & alia jura taxare, directuras per Terram in FLUMINIBUS & in mari sicut utile visum fuerit, stabilire, denique jurisdictionem potestatemque illam habeat & exerceat in terris suis, quam aliquis Princeps Regni Nostri melius habere dignoscitur in terra, quam habet.*

§. V.

Quinimmo ne dubium amplius superesset ullum, ipse Sigismundus Poloniarum Rex A. 1529. disertis verbis non solum privilegia memorata sancte confirmavit; verum etiam fœderis cum Paulo de Rusdorff icti, adeo clare meminit, ut id perpetuo

petuo obſervandum decerneret; idque ad poſteritatis memoriam litteris ſolennibus inſeri curaret. Sunt autem iſtæ ſequentis tenoris & argumenti:

In Nomine Domini Amen. Sagax humanæ naturæ providentia, labilitate memoriæ ſuæ penſata, prudenter adinvenit, ut geſta hominum memoratu digna, ne ſub temporum vetuſtate oblivionis caligine obducantur, literarum monumentis & Miniſterio poſteritatis, prodantur notitiæ. Ad perpetuam proinde memoriam nos Sigismundus Dei Gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Samogitiæ, Maſoviæque Dominus & hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis & ſingulis, præſentibus & futuris harum notitiam habituris. Quod licet dudum jam inter Sereniſſimum atque illuſtriſſimum olim Principes, Dominos VLADISLAUM REGEM Poloniæ & Alexandrum VI-

TOLDUM Magnum Ducem Lithuaniæ, Prædecessores & Avos nostros charissimos eorumque Dominia Regnum & Magnum Ducatum ac terras ac populos eis subjectos, ex una: & venerabilem & magnificum olim Dominum PAULUM DE RUSDORFF, *Ordinis Hospitalis Sanctæ Mariæ Teutonicorum Hierosolymitani in Prussia Magistrum generalem* EJUSQUE ORDINEM, *terras & populos ex altera partibus, omnibus & singulis guerrarum ac differentiarum inter partes ipsas hinc quomodo libet extortis dispendiis & anfractibus sopitis & extinctis, fœdus pacis perpetuæ firmiter & inviolabiliter utrinque tenendum & observandum initum sit & contractum certis & authenticis litteris, seu inscriptionibus communitum & roboratum. Ne tamen unquam futuris temporibus, quorum vetustate Conditionum varietas afferri solet, aliquid de & super Contractu ipso ambiguitatis quoquo modo exoriatur, in detrimentum ipsius pacis perpetuæ*

&

& Concordiæ: qua nihil humanæ vitæ conducibilius est, & commodius & contra, discordia rebus humanis nihil perniciosius; volentes itaque Dominiorum & Subditorum tranquillitati ad futura etiam Secula consulere, nec non optatis & petitioni illustris Principis Domini Alberti, Marchionis Brandenburgici, ac in Prussia, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Sclavorum Ducis, Burggravii Noribergensis, Nepotis nostri charissimi, innovationem Contractus ipsius fœderis, pacis perpetuæ fieri exoptantis, benigne annuentes, Contractum ipsum fœderis pacis perpetuæ, ita ut præmittitur inter divos olim Prædecessores nostros, Regem & Magnum Ducem prædictos, & ordinem Dominiaque & terras partis utriusque initum, in literisque circa lacum Melno apud flumen Ossa datis, & in aliis descriptionibus desuper secutis, contentum & descriptum nostro & illustrissimi Principis Domini Sigismundi Augusti in Magnum Ducem electi, filii nostri cha-

charisſimi, nominibus: ac inter nos & ipſum filium noſtrum, Dominiumque noſtrum, hunc Magnum Ducatum Lithuaniæ ex una: & præfatum illuſtrem Principem Dominum Albertum Marchionem Brandenburgenſem in Pruſſia Ducem, Nepotem noſtrum charisſimum, ejusque Ducatum & terras Pruſſiæ, & populos ei ſubjectos ex altera partibus: refricandum ſeu innovandum duximus innovamusque, atque per præſentes innovamus: & propter evidentiorem hujusmodi innovationis notitiam Articulos infra ſcriptos, & tenore literarum ſeu inſcriptionum antiquarum nihil penitus immutando extractos præſentibus duximus eſſe inſerendos.

§. VI.

Jam vero extra controverſiam poſitum eſt, in fœdere inter Vladislaum & Rusdorfium paciſcentibus utrinque placuiſſe, ut Viſtula pro medietate Polonis, ac pro altera medietate Ordini Teutonico addi-

addiceretur; cui juri tum prægloriosus Borussiæ Dux Albertus, tum filius ejus Albertus Fridericus secure innitebantur, inprimis cum huic rei litteræ investituræ novæ magnopere faverent, & potentissimus Rex Sigismundus Augustus d. XIX. Julii A. 1569. Borussiæ Territorium, *flumina, piscaturas, aquas aquarumque decursus, sicuti illas quondam Magistri generales & Ordo habuere* liquidis verbis concederet, quæ hoc loco haud temere subjicimus, ne qui remaneat in mente Lectorum scrupulus: *Damus autem & concedimus Celsitudini suæ, cum illius Successoribus feudi legitimis in perpetuum & individuum feudum omnes Ducatus Prussiæ terras, Civitates, oppida & Arces, videlicet Arcem Königsberk &c. &c. (ubi recensentur terræ, civitates oppida & Arces) cum omnibus & singulis Subditis, Vasallis, fructibus, Dominiis, Superioritatibus, libertatibus & juribus, una cum*

omni-

omnibus Arcibus, Civitatibus, foris, villis, Mansis, Curiis, Molendinis, Molendinorum locis, Censibus, Vectigalibus, reditibus, theloneis, Servitiis, feudis spiritualibus & secularibus, lacubus, fluminibus, piscationibus, agris, aquarum decursibus, ferarum lustris, ferarum meatibus, Venationibus, Sylvis, Nemoribus, pascuis, pratis, actibus, etiam cum omnibus Metallis, quæ modo sunt, seu in futurum fieri possunt, Auro, Argento, Cupro, Stanno, plumbo, & Salinis, supra & subtus terram, similiter una cum omnibus & singulis juribus, eminentiis & pertinentiis, nullis penitus exceptis, sicuti istiusmodi terras, quondam MAGISTRI GENERALES *& Ordo habuere, & usque ad nuperrime gestum bellum usu & fructu tenuerunt, imposterum perpetuo & hereditarie in commune & individuum feudum tuendas, fruendas, utendas & possidendas.* &c. &c.

§. VII.

§. VII.

Qui vero jus fluminum habet, is quoque fluviales fructus ac census merito colligit, molendina exstruit, piscatur, facultatem vehendi & trajiciendi homines jumentaque, item navigandi & rates deducendi sine impedimento urget & exercet. Hinc minine mirum, ejusmodi census cum ceteris emolumentis ac commodis tum olim a Pomesaniensibus Episcopis, tum etiam, cum ille Episcopatus, per mutationem religionis, in plenum jus Borussiæ Ducum transiret, illibato exercitio fuisse perceptos, idque loquuntur & indicant rationaria Insulæ Sanctæ Mariæ, aliique indices antiquiores, Nautarum in Stangendorf & Nebrau pensiones ac census solicite referentes.

§. VIII.

Et licet primi Borussiæ Duces jus

proprias rates deducendi in Vistulæ flumine aliquandiu non exercuerint, factum id tamen est ex mero arbitrio, vel causis singularibus. Raro quippe eis locis Principes cum suis hunc fluvium trajiciebant; ipsique Poloni tam erant discreti, ut gratis eos transveherent, ita ut minime necessarium tum temporis crederetur, proprias exstruere rates, quandoquidem sine sumtu trajectus commode fieri poterat. Nec omittendum, ea ætate, quo Serenissimus Elector Joannes Sigismundus Regiomonti cum Alberti Friderici filia unica A. 1594. solennia nuptiarum celebraret, ejusque comitatus sat ingens cum legatis externis Vistulam trajiceret, Polonos non tantum rates suas benevole commodasse; verum etiam exiguo honorario contentos ea ratione sese gessisse, ut de propria vectura & rates deducendi exercitio ampli-

ori

ori minime videretur cogitandum; inprimis cum inter Ducem Borussiæ & Capitaneum seu Starostam Neoburgensem paulo post convenisset, ut tertius grossus præfectis insulæ S. Mariæ pro jure trajectus exsolveretur. Quo ipso sicuti dominium alterius ripæ & fluminis pro medietate Poloni agnoscebant, ita communi consensu decretum est tandem, ut loco tertii grossi fixa summa trium marcarum annuatim penderetur, quæ summa valorem duorum thalerorum tum temporis pene æquabat.

§. IX.

Quo in statu res usque ad recentiorem ætatem & medium sæculi XVII. permansit, præfectique insulæ S. Mariæ in rationes suas tres istas marcas exacte retulere. Enim vero prima Ducum Borussiæ & Brandenburgicorum Marchionum linea exarescente ac successionis jure ad Sere-

nissimosElectores Brandenburgicos devoluto simul eveniebat, ut propter commercium cum aula Electorali frequentius, jus trajectus proprium urgendum magis videretur ; præcipue cum pax perpetua cum Regibus Poloniarum inita, in qua medietas Vistulæ ceu olim, pro termino inter Poloniam & Borussiam fuit agnita, argumentum sat validum suppeditaret ad exercitium rates proprias deducendi tutandum.

§. X.

Hinc gloriosissimæ memoriæ Elector Fridericus Wilhelmus consilium haud temere cepit, propriis ratibus ut trajiceretur flumen. Mutato enim pecuniæ valore, non solum fixa ista summa trium marcarum nimis apparebat exigua; verum etiam novæ interveniebant causæ, quare Polonis solitarium trajiciendi jus demum dene-

denegaretur. Neque enim Starosta Neoburgensis, neque possessor Münsterwaldæ, cum copiæ Brandenburgicæ essent trajiciendæ, honorario volebant esse contenti, varias injicientes remoras, vagasque adducentes in contrarium rationes & quærimonias. Quibus præcidendis exstructæ sunt rates, traducti exercitus, ac jus illud trajectus locatum Meiero Senatus insulæ S. Mariæ membro, qui per triennium continuum ab A. 1659. 1660. & 1661. pensionem ipsi impositam 433. Marcarum ac 10. grossorum accurate exsolvit: quod rationaria præfecturæ perspicue probant.

§. XI.

Quanquam vero Starosta seu Capitaneus Neoburgensis huic exercitio magnopere repugnabat; factum est tamen, ut, postquam Polonicæ rates ad ripam Borussici lateris appellere prohiberentur, is

tandem permitteret, ut propriis lintribus ad transvehendos ex Borussia homines ac res Brandenburgici uterentur.

§. XII.

Atque hæc quidem gesta sunt, cum pax Olivensis coalesceret, atque vigore Brombergensium pactorum Respublica Polonica obstringeretur ad Elbingam pignoris nexu Electori tradendam. Quam traditionem ut in longum differrent, aut plane inanem redderent, inter varia commenta Brandenburgicæ Domus adversarii id quoque mirum in modum exaggerabant, Brandenburgicos propriis ratibus in Vistula uti, copias etiam Principum externorum pro arbitrio trajicere, multaque facere, quæ sint contra pacta moremque antiqvum. Quorum figmentorum tela etsi Electoris administer liber Baro de Hoverbeck dissipare omni modo stude-

ſtudebat, jura Principis ſui accuratiſſime tutatus; fecit tamen ſingularis in pacem amor, ac longe proſpiciens Electoris prudentia, ut exercitium juris trajectus A. 1662. tantiſper ſuſpenderet, ac Bredavium interea, qui civis erat Nebravienſis, ejusque heredibus tertium Vecturæ groſſum benigniſſime deſtinaret.

§. XIII.

Et effluxit certe duodecim annorum ſpatium, antequam de hac controverſia, paululum dilata, ſerio iterum agi cœptum. Nam anno demum 1674. cum Rex Joannes Sobieskius in ſolium eveheretur, ſollicitante inprimis Electore, novo Regi in pactis conventis totius regni nomine eſt injunctum, ut relueretur Drahemium, cumque Brandenburgico Principe de copiis in auxilium regni mittendis deque jure trajectus in Viſtulæ flumine, ſecundum

pacta

pacta priora, interveniente solenni commissione, transigeretur. Sed neque reluebatur Drahemium, neque commissio decernebatur, etsi Serenissimus Fridericus Wilhelmus promisso suo non defuit, sed contra Turcas, tum temporis vehementer Poloniam affligentes, exercitum in auxilium regni opportune submisit. Idque ideo factum merito creditur, quod Poloni animadverterent, jus trajectus proprium Electori nullo denegari jure posse: hinc dilata commissio, vel potius sufflaminata. Qua ratione tantum abest ut Brandenburgico Principi atque nunc Borussiæ Regi aliquid decesserit; ut potius revixerit jus proprios pontones eorum exstruendi & habendi. Eum enim in finem tantum suspendit Elector exercitium suum, ut tota controversia pacata ratione per commissarios sopiretur: qua spe evanescen-

nescente non potuit non salva manere Serenissimo Borussiæ Regi facultas proprias deducendi rates, atque emolumenta inde percipiendi consueta. Quod enim Polonis permissum, qui dominium dimidii fluminis habent; id certe & Borussiæ Regi sine mora concedendum, qui pro altera medietate Vistulæ Dominus est.

CAPUT II.

QUID A POLONIS OBJICIATUR IN JURE.

§. I.

SEd ajunt forte Poloni: 1) non adeo peregrinum videri, ut totum flumen parti uni accedat, nec deesse inter gentes exempla, nec argumenta: Crucigerorum imperium serius esse natum,

 quam

quam Polonorum in Borussia; qui jam occupassent flumen; prioremque tempore hic merito potiorem credi jure. Addunt 2) observantiam pro veritate haberi, inque confesso interea esse Capitaneum Neoburgensem solum jus trajectus centum plus annis exercuisse; Duces Borussiæ non item, nec Electores Brandenburgicos ac vix 3) consequi, tertium grossum Præfectis Insulæ Marianæ esse solutum, ergo Dominium pro medietate fluminis à Polonis esse agnitum & approbatum; sed quidquid hac parte factum, tanquam ripaticum videri considerandum: facile enim contingere, ut, si appellant ad ripam rates & homines jumentaque transuecta eam conculcent, aliquid damni faciant, riparum dominis: quin 4) etsi Borussiæ Principes habuissent jus exercendi trajectum, per non usum tot annorum

illud

illud utique esse amissum & à Polonis præscriptum, cetera.

§. II.

Ad quæ ordine respondemus: 1) Fieri posse & contigisse alicubi, ut fluvius in genere finiat regna principatusque, isque pertineat integer ad Dominum unum non binos aut plures ex utroque latere terras possidentes: sed hoc loco inprimis circumspicienda sunt pacta, in quibus ad medietatem Vistulæ Polonorum imperium dominiumque pertingit: quidquid ultra medietatem porrigitur, ex repetitis conventionibus ad Crucigeros Borussiæque Duces jure pertinuisse evincitur: Quod in facti specie in clara luce est constitutum. Deinde falso utique similius est, Polonos totum flumen occupasse. In vulgus quippe notum est, qua in anxietate versati sint Poloni, cum evocarentur Teuto-

nici equites. Sane totus Pomesaniensis tractus in infidelium potestate erat, quos publicis in litteris ipsimet Saracenos appellavere: & hos vero ordo Crucigerorum sub jugum redegit, eorum terras & regionem feliciter occupavit, Pomesaniensem Episcopatum instituit, ita ut à veritate illico abludere videatur assertio, Polonos jam occupasse integrum flumen, Polonos, qui adeo timebant Borussos, ut Cæsarem Fridericum, ut Pontificem Romanum consulerent, quomodo sit supprimendus tam ferocis populi furor; cui sistendo ipsimet pares non essent. Ex quo merito inferas, Polonos utpote infirmiores dominium imperiumque in Vistula prorsus non habuisse; sed demum pro medietate in pace perpetua cum Paulo Rusdorfio in consortium certo fuisse admissos. Quod & supplementum Chronici Petri

de

de Duisburg luculenter innuit: *Quibus omnibus ad licitum consummatis tandem Dominus Magister generalis cum suis necessitate compulsi eandem litis materiam ad omne beneplacitum Polonorum concordavit: videlicet per demolitionem castri Nassau, & assignationem MEDIETATUM WISSELÆ & navigii in Thorun.* Ex quo constat, ordinem Teutonicum habuisse iis locis integrum dominium fluminis, sed à Polonis coactum pro medietate illud tandem adversariis suis reliquisse. Quæ cum ita sint non necesse est sane confugere ad præsumtiones, secundum quas in dubio dominium cum imperio ad medietatem fluminis protenditur: Constat jam, quomodo hic terminus sit constitutus: ipsi Crucigeri Polonis hac parte flumen medium cessere, quod olim occupavere integrum.

 §. III.

§. III.

Cui fundamento ſicuti totius controverſiæ ſtatus innititur, ita quod 2) de obſervantia in contrarium diſſeritur parum roboris oſtendit. Minime enim negatur, Capitaneum Neoburgenſem ratibus propriis in Viſtula jus trajectus exercuiſſe; ſed id vero Boruſſiæ Regi non tam nocet, quam prodeſt. Quidquid Poloni agebant, id jure medietatis in flumine ſibi competentis fecere: unde prona conſequentia: ergo & Boruſſiæ Regi ejusque prægloriosis anteceſſoribus idem licuit, licetque: merique arbitrii fuit, Brandenburgicos aliquando propriis lintribus ad trajiciendum aptis non eſſe uſos. Ad exercitium vero juris arbitrarii nemo cogitur. Poſſum altius tollere & ad cœlum ut loquuntur ædificare; Verum etſi centum ac pluribus annis non ædificem; neutiquam

quam tamen jus ædificandi & tollendi altius amittitur, quia id in mea libertate eſt poſitum. Et adductæ ſunt autem rationes ſat graves, quare primæ lineæ Marchiones ac Duces aliquantiſper ſuſpenderint exercitium proprias deducendi rates; ac licet nulla cauſa ſuppetiiſſet, facultas tamen manet facultas, dominium pro medietate manet dominium: Quod interea ut conſervarent claro ſigno, & Poloni reſciſcerent, quid juris eſſet in flumine Alberto Duci ejusque ſucceſſoribus, tertium tantiſper groſſum, ad certam demum & fixam ſummam redactum 3) accepere; non ut ſemper eo ſe contentos futuros declararent, ſed ut eo pacto dominium ſuum ſartum tectumque retinerent: quod ſatis erat eritque ad libertatem flumen propriis navibus ac ratibus trajiciendi defendendam. Neque

enim

enim ulla propterea novatio evenit aut totum dominium ad ripam Polonicam defluxit: ſed, canone iſto & fixo præſtito, iſtud pro medietate, cum omnibus adjunctis & libertatibus eſt conſervatum. Quod inprimis & cum cura eſt expendendum, quandoquidem prorſus improbabile & abſurdum foret, dominium dimidium fluminis imperiumque pro duobus thaleris annuis eſſe venditum, aut cum iſta ſumma permutatum. Unde finis ſic paciſcentium potiſſimum eſt conſiderandus, neque ex oculis dimittendus, qui ex parte Ducis utique fuit conſervatio dominii ſecundum pacta priora. Qui vero dominium ſibi reſervavit, etiam libertatem dominio annexam retinuit: quæ una cum aliis in eo quoque conſiſtit, ut propriis ratibus tranſvehantur tum noſtra, tum aliena. Unde ſumma illa ad finem & effectum reſer-

ſervandi accepta non operatur aliquam acquiſitionem de novo & integro: nihil enim in alterum transfert, qui quod ſuum eſt evidenti ſigno reſervat, ac canone in ſtipulationem deducto, ſic neque aliter ſe ſentire ſat valide indicat. Pro qua etenim re quæſo, Poloni permiſiſſent tertium groſſum? Pro damno, quod ſentirent Brandenburgici ex appulſu ad ripam? Atqui de tali detrimento neque ſermo erat, neque cogitatio. Loqvuntur pacta, quæ adduximus ſupra, de medio flumine Boruſſiam Poloniamque ſecante. Non occurrit contractus de vendendo, non item locatio & conductio, non denique permutatio: quidquid agebatur, eo profecto redibat, æquale jus eſſe utriusque rationis pro medietate fluvii: hoc urgebant Boruſſiæ poſſeſſores Domini, ac Duces; idque agnoſcendum merito ſolli-

citabant: de ripatico nulla incidebat mentio; de ripa, quæ deterior fieret per appulſum utrique parti nunquam & nusquam aliquid in mentem veniebat: quin ſixum iſtud trium marcarum *Arrhæ* potius loco erat, Polonos agnoſcere juſtitiam cauſæ neque Boruſſiæ Ducibus dominium unquam pro parte dimidia iri negatum cum reliquis adjunctis libertatibus & juribus in re propria. Jam vero re in alium ſtatum deveniente ac prima Ducum Boruſſiæ ſtirpe extincta Electoribus Brandenburgicis argumenta ſat magni momenti occurrebant, quare dominium pro medietate Viſtulæ alio modo, quam per exactionem tertii groſſi ſit aſſerendum. Commeabant aulici ultro citroque, etiam proceres, nobiles, cives, incolæ Boruſſiæ ad aulam Principis ſui ſæpius contendebant, Poloni vero, quod initio ſine mo-

ra faciebant, transvectionem gratuitam abnuebant, ac, cum copiæ essent trajiciendæ de honorario pro arbitrio pendi solito moleste disceptabant, quæ universa atque singula tum temporis tanquam conditio præponebantur, cum ab exercitio proprios pontones habendi abstinerent Borussiæ Duces atque Electores. Unde per se consequebatur, auferri obligationem ad tertium grossum accipiendum, quando mutabatur causa, & status in quo unice illa conventio fundabatur de non exercendis dominii effectibus & annexis. Nec nocet, conditionem hanc nunquam perspicue fuisse adjectam, ac propositum vero in mente retentum nihil operari. Prorsus quippe negatur, propositum hoc in mente fuisse retentum. Exigebant ex pactis antecedentibus Borussiæ Principes dominium pro medietate in Vistulæ flumine: recognoscebant id Poloni præstando

tertium grossum: dominium fluminis autem post se trahit facultatem exstruendi proprias rates: neque id, inficias eunt Poloni, quia id juris ipsimet exercent adhuc: quare iterum in aprico constituitur, Borussis eandem competere libertatem, sicubi utilem sibi & necessariam animadverterent. Quo circa prægloriosus Fridericus Wilhelmus proprios ædificari pontones jussit; lintrarios constituit, copias trajecit; ac, quemadmodum fecere Poloni, homines, jumenta, res transuexit, idque per triennium continuavit, ratus, conditionem memoratam Polonis fuisse notissimam atque in ipsa conventione latere, ut, si res posceret, dominium fluminis agnitum & per solutionem certæ summæ approbatum, secundum pactorum antiquissimorum tenorem, expediretur pro re nata ad Electoris necessitatem ac

com-

commodum. Neque enim hoc loco renunciatio juris alioquin certissimi est comminiscenda, ubi nullum renunciationis vestigium occurrit. Et fictio vero admodum esset paradoxa, concipere renunciationem in re magni momenti; quæ non præsumitur, sed quia facti, probanda & quidem evidenter ac per probationes arctiores. Ubi vero sunt istæ probationes arctiores? Non est hic actus juri Electoris ac nunc Borussiæ Regis contrarius: potius in id incubuere Borussi, ut Poloni dominium ipsorum in Vistula pro parte agnoscerent, qui actus non tam juri Electoris, quod poposcit, & quod successores ejus poscunt adhuc, contrarius est, quam facultatem proprias rates exstruendi stabilit. Quando vero neque expressa è verbis, neque tacita voluntas renunciandi è factis apparet, frustra sane renun-

ciatio jactatur, & ſpecialis quidem dominii in medio flumine amittendi. Quod ſi Poloni in ſe deſcendentes bene expendant, quæ ratio & cauſa fuerit tertii groſſi accipiendi & comparate præſtandi, deprehendent facile, de aſſerendo dominio tum actum fuiſſe, non autem de ejus renunciatione. Quinimmo neque hic optio eſt, cujus interventu aliquis rei alteri renunciaſſe cenſetur. Quid enim elegiſſent pro dominio Viſtulæ, ubi illa alluit Boruſſiæ Ducatum? Duos thaleros annuos? Pudet dicere. Hujus tractatus cauſa ipſum erat dominium, pro cuius recognitione ſoluebant pauxillum Poloni. Itaque cadit electio & ex diverſis cauſis, non contrariis diverſæ actiones ortum trahunt. *Prima* eſt *recognitio* dominii in flumine è pactis publicis: *altera* EXERCITIUM Dominii à Polonis recogniti & factis

ctis & verbis. Prima actio est finita: altera incepit & continuatur. Sed, inquiunt, suspendit Elector jus proprios Pontones habendi aliquamdiu & Bredawio ejusque hæredibus tertium grossum ex beneficio concessit. Qui suspendit, reponimus, nihil à se abdicat. Suspensio caussam habuit singularem; quodque differtur, non aufertur. Ratio illa singularis futuri tractatus erant: Per hosce finitum iri controversiam Poloni promittebant: quin obstringebant ipsimet novum Regem electum Joannem, ut decerneretur commissio & causa bene cognita satisfieret Electori. Sed evanuit commissio; nec Electori nec Successoribus ejus est satisfactum; ergo exspiravit suspensio exercitii. Rex Borussiæ jure optimo maximo id denuo exigit; nec, dominio fluminis agnito, suspendi amplius exercitium potest;

test; nisi novo facto voluntatem contrariam declaraverit declaretque. Sed persistit Rex in justa juris sui persecutione; nec causam habet ullam, quare longius differat, quod sibi ex pactis majorum merito debetur.

§. IV.

Igitur actum est de Polonorum argumentis, nisi forte 4) ad præscriptionis asylum infeliciter confugiant. At qui se præscripsisse dicit, ille alterum affirmat dereliquisse, aut alienasse. Verum tamen ubi sunt derelictionis vel certa, vel verisimilia signa? Qui dominium in Vistula dimidium toties ursit serio, libertatem exstruendi rates proprias non sane dereliquit, quia, omnium JCtorum sententia, hic effectus est dominii in flumine; cujus annexum simul extra controversiam positum videtur. Quid? quod qui

rates

rates proprias exercuit, ipſo jure & facto, itidem non derelinquit hoc jus ſpeciatim per varia temporum ſpiramenta depoſcitum: ut taceamus, eum qui amore pacis & ob promiſſos tractatus de negotio controverſo exercitium ſuum, in mera ſua facultate poſitum, ſuſpendit, rurſus nihil amittit, nihil alienat, nihil derelinquit. Applicatio ad factum ſicuti facilis eſt, ac ſæpius facta; ita placet quærere: quis præſcribat rem meræ facultatis? Hæc facultas penes Boruſſiæ Principes ac Dominos requieſcebat, de qua diſponunt iidem jure ſuo & naturali competente. Unde licet per centum annos neque piſcati eſſent, neque navigaſſent, nec proprios pontones deduxiſſent, quia tamen facultas erat, quæ *ſua ſponte* apud iſtos paullulum quieſcebat, quamdiu de facto non eſt adempta, ſequitur, Succeſ-

ſores Sereniſſimos ea facultate adhuc poſſe uti. Nihil hic operabitur prohibitio & contradictio Polonorum. Quamdiu enim vicinis non eſt conceſſum dominium in Viſtula plenarium, in auras abit eorum prohibitio ac repugnantia: quin vel cum incommodo eorum poteſt ſuſcipi exercitium dominii & quæ ex illo profluunt, quia continetur hujusmodi libertas in proprietate fluminis. Etiam nihil efficiet tempus, quia res meri arbitrii omiſſionem exercitii admittunt, ita ut inde nihil decedat non utentibus, nihilque de eorum facultate diminuatur. Nec obſtare poteſt, quod propriis pontonibus navigando & trajiciendo intercipiatur vicinis Polonis commodum illud, quod ex intermiſſione juris alioquin competentis per longiſſimum tempus percepere. Id enim emolumenti non jure ſuo, ac ne

quidem precario habuere, ſed *mero caſu*, eoque modo, qui nullam ipſis poſſeſſionem tribuit, adeoque nec facultatem Regis Boruſſiæ ulla ratione potuit intercipere: neque illi ſane damnum faciunt, ſed lucrum, quod ad ipſos nullo jure perfecto, neque imperfecto, ſed ſolo caſu perveniebat, duntaxat amittunt. Ex quibus deduci ac confici poteſt hoc conſectarium: *Ea commoda, quæ percipimus ab alio vel ipſius rebus, non vi contractus, aut veræ poſſesſionis, ſed per ACCIDENS, & per conſequentiam ejus ſtatus, in quo ipſe remanere ſe, vel res ſuas mavult; ea, inquam, non debentur ab ipſo, ſed ſine injuria ab eodem poſſunt eripi, mutato ſuo vel rerum ſuarum ſtatu.* Potius gratulentur ſibi Poloni eos utilitatem ex re aliena per accidens cepiſſe, ad quam nullum habebant jus, nullamque juris ſpeciem. Nunc enim Boruſſica res mi-

nime patitur, ut ampliore liberalitate Poloni ditescant. Plura non addimus.

CAPUT III.

QUID IN FACTO OBJICIATUR A POLONIS.

§. I.

QUi in jure succumbunt, factum satagunt pervertere, vel aliter narrare rem, ne jus sibi, utut legitime accommodatum, noceat. Hinc & Poloni factum solent immutare, &, quia non constant sibi, variis modis tentant informare. Non enim inquiunt, ad tractatus Vladislai Jagellonii cum Rusdorfio oculi sunt convertendi, sed ad pacta

Casi-

Caſimiri cum Ludovico de Erlichhauſen: cui magna pars Boruſſiæ fuit adempta; tot arces ac civitates ereptæ, flumina, piſcaturæ, ac, neſcio, quæ non ablata; cumque hæc pacta ſint poſteriora, cetera priora hinc colligunt, non tam prioribus eſſe innitendum, quam poſterioribus, in quibus curta Boruſſiæ crucigeris ſuppellex eſt relicta.

§. II.

Atat ſupra jam, inque facti ſpecie monitum eſt, illa fere Polonis eſſe relicta, quæ nunc complectitur Polonica Boruſſia; cetera in Crucigerorum poteſtate manſiſſe cum omni jure ac potentatu. Non eſt exceptus Viſtulæ fluvius, non aquæ reliquæ; quid? quod *aquarum* diſerte meminere pacta conventa. Nec

 quis-

quisquam cum Polonis de jure fluminum disceptat, ubi illi soli regnant habitantue. Verum ubi Borussiam Poloniamque Vistula in specie separat, Polonis dica merito scribitur, quoties soli dominium affectant & Crucigeri ordinis legitimos successores excludere cupiunt, inprimis cum in vulgus notum sit, illa pacta Casimiriana brevi tempore integre perstitisse, sed novis turbis coortis armisque prehensis iterum fuisse maximam partem eversa : donec pax noua coiret inter Sigismundum Regem & Albertum Marchionem, novæque conditiones utrique parti arriderent, & solenni promissione confirmarentur. In hoc tractatu nulla pactorum Ordinis Magistri ab Erlichshausen mentio est facta, sed potius pax Vladislai perpetua cum Paulo de Rusdorf ante occulos fuit constituta; quod supra è renovatione omnium privilegio-

gio-

giorum A. 1529. à Sigismundo ſuſcepta affatim fuit probatum. Jam autem ſubſumimus, in pactis cum Rusdorfio Viſtula pro medietate Boruſſiæ ſupremo eſt addictus Magiſtro; hæc confirmata ac renovata ſunt: Viſtulæ medium flumen inter Poloniam & Boruſſiam horizon, ſeu finitor manſit igitur: quantumvis tantiſper poneretur, Ludovicum ab Erlichhauſen omnia fluviorum aquarumque ſuprema jura amiſiſſe. Illa enim conventio rem totam ad pacta Rusdorfiana revocat, quibus ſtandum, niſi mutatio ex facto novo eliciatur, quod in æternum non fiet. Referens enim interpretationem ex relato accipiat oportet; idque quod in relato continetur, in referente quoque contineri JCtorum decretis, quæ fundamentum in ipſa ratione habent, ſtabilitur; cum dubium non ſit principale illud eſſe, ad quod fit relatio.

Igi-

Igitur conventio cum Rusdorfio hoc loco eſt illud principale; unde referens, quod eſt renovatio omnium privilegiorum, declarationem accipiat neceſſe eſt, ita ut relatio relatum ponat in referente non aliud, nec aliter nec alterius conventionis argumentum, quod in referente nec tacite nec aperte, aut claris verbis eſt indicatum. Ex quo mirari ſubit, Polonos ſubſtituere hoc loco moliri pacta Caſimiri cum Ludovico ab Erlichhauſen confecta, quæ pars referentis non ſunt, nec nominatim, nec etiam per longiſſime licet petitas ratiocinationes ex referente derivantur. Immo vero utrinque otium & pax fuit quæſita. Non placebat armorum ſtrepitus amplius Sigismundo Regi ſapienti, non etiam Alberto ſupremo Ordinis Magiſtro: unde perſpicuum redditur, tolerabiles pacis conditiones

fuiſſe

fuiſſe quæſitas, quæ partem utramque ad pacem perpetuam pangendam ſervandamque inclinarent: Verique ſimile eſt, imo certiſſimum, Rusdorfiana conventa meliora & utrique belligerantium accommodatiora viſa, durumque & ſtrictum, ne pax ulla ratione ſufflaminaretur, haud temere fuiſſe abſciſſum ſublatumque. De qua enixa voluntate ne ſcrupulus ullus relinqueretur, geminata ac generaliter repetita eſt ante memorata relatio in litteris inveſtituræ Alberto Friderico conceſſis: ubi denuo pactorum cum Magiſtris ordinis generalibus initorum memoria iteratur ac denuo inculcatur, ut ne per errorem in renovationem omnium privilegiorum à Rege Sigismundo aliquid peregrini dicatur inſertum. Actus enim geminati majorem firmitatem inducunt, quia, quod repetitur majorem conſultationem ac de-

liberationem arguit. Quo ex fundamento JCti deducunt, geminatum consensum vim jurati consensus quandoque adipisci, mirumque propterea eo magis videtur, Polonos respuere pacta Rusdorfiana, quæ in instrumentis diversis tum generatim tum speciatim sincere sunt renovata atque approbata.

§. III.

Quæ res sine dubio effecit, ut aliqui Polonorum statum controversiæ rursum immutare sint ausi. Jam enim ad leges feudi confugiunt, easque strictissime observari cum investituræ literis cupiunt, quas accepisset primus Borussiæ Dux Albertus Marchio. In illis enim neque Vistulam memorari; neque aliquid de dominio dimidio etiam acutissime cernentibus ac legentibus occurrere. In quo quidem

dem nihil falsi enunciant. Sed quis à silentio hoc arguet, Borussis jus Dominii in Vistula fuisse propterea ademptum? Notoria sine præjudicio silentio transmittuntur, nec ut allegentur necessitatis, sed voluntatis tantum est. Atqui manifestum erat, dimidium flumen Polonos separasse à Crucigeris, quorum in locum & eminentia jura succedebat Dux novus. Et licet aliquando notoria dicantur, quæ non sunt; neutiquam tamen id applicari ad thema nostrum potest. Nam in ipsis investituræ litteris Alberto datis clare invenitur, ut novus dux *directuras per terram in FLUMINIBUS & MARI sicuti utile visum fuerit, stabiliat.* Qui vero id generatim in fluminibus permittit, nec aliquid speciatim excipit, is sane ab oratione generali removere Vistulam non potest, qui ceteroquin est fluviorum maximus. Adde,

permiſſum denique fuiſſe Sereniſſimo Alberto, ut *apud Regiam Majeſtatem in Conſiliis, comitiis & publicis conventibus proximum locum habere debeat ac denique jurisdictionem & poteſtatem illam in terris ſuis exerceat, quam aliquis Princeps regni melius dignoſcitur in terra quam habet.* Atque nobiles Poloni omnes, ſicuti Herburtus de Fulſtein in ſtatutis Regni Poloniæ adnotat Tit. *Flumen* in *conſtit*: Sigismundi A. 1507. jus habent trajiciendi propriis pontonibus in *fluminibus*, *quæ regia bona & Subditorum diſterminant*; & Princeps poſt Regem in Polonia ſummus ejus generis libertatem non habeat in Viſtula, cui alioquin ſummum in fluminibus jus generatim eſt conceſſum? Sed ſalva res eſt, & exinde quam maxime probatur, jus hoc fuiſſe notorium nec ſpeciatim proinde Viſtulam debuiſſe nominari, cum Sigismun-

dus

dus Rex in mente ſemper habuerit pacta Rusdorfiana, quæ in renovatione omnium privilegiorum diſerte ſunt nominata, confirmata, ac reducta, ita ut nulla rationabilis dubitandi ratio ſuppetat, per litteras inveſtituræ primas arctius fuiſſe novum Ducem conſtrictum. Potius inferimus, omiſſum quod fuit in litteris inveſtituræ, nec verbis eſt expreſſum, merito ſuppleri ex pactis & jure antea competente, ac legibus & conſtitutionibus ſubſequentibus. Sed adſunt pacta Rusdorfiana ante inveſtituram Alberti, in quibus Crucigero ordini dominium imperiumque pro medietate Viſtulæ tribuitur, eaque renovata ſunt poſt inveſtituram in renovatione omnium privilegiorum ac ſancte confirmata à Sigismundo Auguſto, Albertum Fridericum ducem inveſtiente. Quæ

illationi videatur firma & inconcussa, ostendant Poloni, quare igitur renovata sint pacta Rusdorfiana, eorumque toties mentio facta? Renovatio nihil novi juris addit, sed potius tituli prioris continuatio est, eoque dominium pro medietate Vistulæ in ipsa repetitione de novo comprobatum merito videtur. Quod adhuc magis conficit, in literis investituræ primi Ducis idem fuisse sub jure fluminum generatim præsuppositum, & *subintellectum*, quia ex post facto iterum, pacis perpetuæ inter Vladislaum Regem & Rusdorfium initæ evidentibus verbis memoria est integrata, sive id à Regibus Sigismundo & Sigismundo Augusto proprio motu, sive ad instantiam Borussiæ Ducum, boni ordinis causa, atque ad dubia in futurum tollenda, sit factum. Sat est, ad modum & mensuram ejus pacis dominium Borus-

siæ

ſiæ Ducum pro dimidio fuiſſe agnitum. Eam agnitionem ſolutio tertii groſſi adhuc luculentius indicat: & dominium vero exercitium juris in iſto flumine non ſolum in ſe complectitur, ſed & omnes actus poſſeſſorios legitime defendit; ita ut dubium non ſit, quin Sereniſſimo Boruſſiæ Regi minime poſſit vitio verti, ſi poſt arbitrariam intermiſſionem, cujus cauſam ſingularem in capite II. abunde ſignificavimus, proprias exſtrui rates jubeat, quibus transvehantur homines, milites & res aliæ ad neceſſitatem & commoditatem quæcunque, prioribus pacis fœderibus congruenter.

§. IV.

Iſtud vero, quod forte objici adhuc de medietate fluminis poſſet, ac ſi Boruſſiæ Principibus ac Regibus tantum pro dimidio

midio fluminis propriis uti pontonibus liceret, vel nihil eſt, vel facile diluitur. Nam ſicuti Poloni ab una ripa ad alteram transvectionem ſuam extendunt; etſi tantum ad medium alvei imperium dominiumque eorum pertingit; ita idem indulgendum eſt alterius portionis certiſſimis dominis ac poſſeſſoribus, aut neutri id tribui juris poterit. Sed inſtant Poloni exercitio ſuo; itaque ex iisdem argumentis inſtat Boruſſiæ Rex juri ſemel acquiſito; neque ſe ab illo exercendo dimoveri ulla ratione patietur; idque, quia & veritati facti & æquitati prorſus convenit, à Polonis nunquam amplius iri deductum in controverſiam, juſtiſſime ſperat.